Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Briefe - Cod. Aug. perg. 83

Paulus <Apostel, Heiliger>

[S.l.], [11. Jh.]

Inc.: in primis dicendum est cur apostolus Paulus in hac epistola scribendo non servaverit Moysem suum

urn:nbn:de:bsz:31-11851

Visual Library

Inprimis dicendum est cur apostolus paulus in hac epistola scribendo non seruauerit morem suum ut uel uocabulum nominis sui uel ordinis scriberet dignitatem. Hec causa est, quod ad eos scribit qui ex circumcisione crediderant quasi gentium apostolus et non hebreorum. Sciens quoque eorum superbiam suamque humilitatem ipse demonstrans meritum officii sui noluit anteferre; Nam simili modo etiam iohannes apostolus propter humilitatem in epistola sua nomen suum eadem ratione non pręmisit. Hanc ergo epistolam fertur apostolus ad hebreos conscriptam hebraica lingua misisse; Cuius sensum et ordinem medicus lucas et euangelista post excessum beati apostoli pauli greco sermone composuit;

AD HEBREOS

Multifariam multisque modis olim deus loquens patribus in prophetis nouissime diebus istis locutus est nobis in filio quem constituit heredem uniuersorum per quem fecit et secula. Qui cum sit splendor glorię et figura substantię eius portansque omnia uerbo uirtutis suę purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; Tanto melior angelis effectus quanto differentius prę illis nomen hereditauit; Cui enim dixit aliquando angelorum filius meus es tu ego hodie genui te; Et rursum ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium; Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrę dicit et adorent eum omnes angeli dei; Et ad angelos quidem dicit Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis; Ad filium autem; Thronus tuus deus in seculum seculi et uirga equitatis uirga regni tui; Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem propterea unxit te deus deus tuus oleo exultationis prę participibus tuis; Et tu in principio domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt celi; Ipsi peribunt tu autem permanebis et omnes ut uestimentum ueterescent; Et uelut amictum mutabis eos et mutabuntur; Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient;

In regnorum libro

In psalterio